



Disputatio juridica inauguralis de testamentis

<https://hdl.handle.net/1874/347222>

DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS,
DE

TESTAMENTIS,

Q U A M,
FAVENTE DEO TER OPT. MAX.

Ex Auctoritate Magnifici Rectoris,

D. HERMANNI van HALEN,

S.S. Theologiæ Doctoris, ejusdemque Facultatis in Indytâ Academiâ
Ultrajectinâ Professoris Ordinarii, Verbique Divini ibidem in
Ecclesiâ Præconis,

N E C N O N

*Amplissimi Senatus Academici consensu, Nobilissimæque
Facultatis JURIDICÆ Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS
Summisque in UTROQUE JURE honoribus & Privilegiis
ritè, & legitimè consequendis.

Eruditorum examini subjecit,

CORNELIUS SCHAEF, Hagæ-Bat.
A. D. 7. Jun. hora locoque solitis.



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officina FRANCISCI HALMA, Academiæ
Typographi, clō Ibc LXXXIX.

Gravissimo ac Consultissimo VIRO;

D. D. PETRO SCHAEF, J. U. D.

Curiae Hollandiae praclaro, Patri suo admodum honorando, & filiali obsequio, ac amore indissolubili quam plurimum prosequendo.

NEC NON

Nobilissimo Consultissimo VIRO,

D. D. SIMONI a BEAUMONT, J. U. D.

Illustrium ac Praepotentium Dominorum Hollandiae & Westfrisiae, a secretis eruditissimo ac vigilantissimo Cognoto suo plurimum honorando.

UT ET

Doctissimo ac Clarissimo VIRO,

D. D. JOHANNI a MUYDEN, J. C. to.

atque in hac Academia, quae est Trajecti ad Rhenum, juris Professore ordinario, Promotori venerando, de me studiisque meis quam maxime merito.

*Hanc disputationem Inauguralem
& semet ipsum*

D. D. D.

CORNELIUS SCHAEF, Auctor.



DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS,
DE
TESTAMENTIS.

THESIS I.



Testamentum ex eo appellatur, quod testatio menti sit, dicit Imp. in pr. inst. h. tit. quibus verbis nec vera definitio rei, nec nominis exhibetur: non rei quoniam non omnis testatio mentis est testamentum, non nominis, quia testamentum non est vox composita, sed simplex derivata à verbo testari. Elegans tamen istis verbis continetur allusio ad rem ipsam, similes derivationes Jctis non sunt infrequentes uti videre licet in pr. inst. quib. mod. re contr. obl. l. 1. ff. de test. milit. l. 1. ff. de novat. aliisque textibus, veram definitionem exhibet Modestinus in l. 1. ff. h. t. hoc modo.

I I.

Testamentum est voluntatis nostræ iusta sententia de eo quod quis post mortem suam fieri velit.

Dicitur *nostræ* quia alius pro alio testari nequit *l. 32. ff. de hered. instit.*, voluntatis neque enim potest dici testamentum nisi si quis decernat se hoc vel illud velle, atque hinc voluntas facit, quod in testamento scripto valet *l. 12. §. fin. ff. de legat. 1.* additur *iusta sententia* per sententiam intelligimus contestationem seu testationem, nam sic in *l. 20. §. 8. ff. b. tit. dicitur* contestatio suprema. Iusta autem sententia est solemnis sententia juri ejusque solennitatibus conformis. *l. 4. ff. b. t.*

Sequitur *de eo*, id est de omni eo, seu de universis bonis, ut intelligamus peregrinum pro parte testatum pro parte intestatum decedere non posse *l. 7. ff. de R. J.* & sic quoque testamentum à Codicillis distinguitur, in quibus non fit dispositio de universis bonis, seu non instituitur heres. *§. 2. Inst. de Codicil.* Denique subjungitur *quod quis post mortem fieri vult*, hæc verba indicant testamentum post mortem demum sortiri effectum, quia ambulatoria est hominis voluntas usque ad extremum vitæ spiritum *l. 4. ff. de adim. legat.*

I I I.

Olim tria testamentorum genera obtinebant, unum quod fiebat Calatis Comitibus, alterum in procinctu, quod propterea procinctum dicebatur, tertium per æs & libram adhibito familiæ emtore *§. 1. Inst. b. tit.*

Verum antiqui illi ritus testandi in defuetudinem abierunt, ac secundum jus novum testamentum 1. dividitur in scriptum & nuncupativum. Scriptum est, quod testator in scriptis fa-
cere

eere voluit. Nuncupativum quod viva voce ordinare voluit.
§. fin. inst. h. t.

2. Testamentum est vel solenne vel privilegiatum, solenne est quod factum est secundum solennitates jure civili requisiti-
 tas. Privilegiatum, in quo vel pleræque omnes, vel aliqua
 saltem solennitates sunt remissæ. De solennitatibus testamenti
 mox dicam, ubi quædam de personis testantibus præmiserò.

I V.

Testamentum facere possunt omnes qui non prohibentur
arg. l. 43. ff. de procurat.

Prohibentur autem quidam ob statum, quidam ob defe-
 ctum aliquem. Ob statum testari prohibentur 1. illi, qui
 alienæ potestati sunt subjecti *pr. inst. quibus non est permiss. fac.
 testam.* tales servi *l. 8. §. fin. ff. h. t.* item filiusfamilias, *d. princ.
 & l. 6. ff. h. t.* quod in tantum verum est, ut ne quidem con-
 sentiente patre filiusfamilias testari possit *dd. ll. cujus rei ratio
 est quod testamenti factio non debet pendere ex alieno arbi-
 trio l. 32. ff. de hered. instit.* exceptio autem est in peculio
 castrensi & quasi castrensi *§. fin. inst. de test. milit. l. 26. §. 1.
 ff. eod.*

V.

Celebris est quæstio an filiusfamilias etiam testari possit
 de adventitiis plenis? quod nos negandum esse censemus:
 nam id satis expresse constat ex *d. princ. inst.* ubi Imperator
 pronunciat inutile esse testamentum quod factum est à filio
 qui castrense aut quasi castrense peculium non habet, nec
 minus clarus ad eam rem textus est in *l. pen. C. qui testam.
 fac. poss.*

6 DISPUTATIO JURIDICA

V I.

Ob statum 2. testari prohibentur illi, qui apud hostes sunt *l. 8. pr. ff. b. t. §. fin. inst. quib. non est permiss. fac. testam.* quod tamen ante captivitatem fecit, non infirmatur *d. §. fin.*
3. Obsides, nisi veniam impetrarunt à Principe *l. 11. ff. b. t.*
4. Peregrini deportati *l. 8. §. 1. & 2. ff. cod.* 5. Heretici *l. 4. & anth. credentes C. de hereticis.* 6. Capitis damnati *l. 8. §. 1. & §. fin. ff. quib. non est permiss. fac. testam.* neque hoc correctum videtur per *Nov. 134. cap. fin. in fin.*

V I I.

Defectus vel animi est vel corporis. Ob defectum animi testari prohibentur 1. impuberes, quia nullum eorum animi iudicium est *§. 1. inst. quib. non est permiss. fac. testam.* 2. Furiosi, quia mente carent *d. §. 1.* quod tamen testamentum factum est tempore dilucidi intervalli, hoc valet *l. 20. §. 4. ff. b. tit.* 3. Prodigii, quibus bonorum administratio interdicta est. *l. 18. ff. b. tit. §. 2. inst. quib. non est permiss. fac. test.*

V I I I.

Ob defectum corporis testari prohibentur muti & surdi simul *§. 3. inst. quib. non est permiss. fac. test. l. 6. §. 1. ff. b. t.* id autem parum mutatum est per Imperatorem in *l. 10. C. b. t.* cuius summa est, si quis à natura simul mutus sit & surdus, is nec testamentum condere, nec condicillos facere potest, si autem per accidens talis factus est, litteras autem sciat, in scriptis testari potest, qui vero mutus aut surdus tantum est, sive à natura sive per accidens, vel viva voce vel litteris testari potest.

IX. Quod

I X.

Quod ad Cæcum attinet, is nec potest testari, nisi secundum constitutionem Imperatoris Justiniani §. 4. *Inst. quib. non est permiff. fac. test.* ea est *lex 4. C. h. t.* ubi in cæco requirit Imperator 1. ut adhibeat septem testes, 2. Præter hos Notarium, vel si ejus copia non detur, octavum testem 3. coram omnibus unico contextu declaret uoluntatem 4. addatur hæredis institutio, 5. ut omnes heredes cum Notario subscribant signaque apponant.

X.

Hactenus dictum est de personis: sequuntur requisita testamenti, quæ vel communia sunt vel specialia, communia requisita sunt quæ in omni testamento locum habent, etiam privilegiato, qualia præcipue sunt tria, 1. ut testator habeat testamenti factionem activam *l. 4. ff. h. t.* 2. Ut in testamento heres instituatur *l. 1. ff. de hered. instit.* 3. Ut probetur uoluntas *l. 40. pr. ff. de test. milit.*

X I.

Requisita specialia sunt, quæ tantum obtinent in testamento solenni, eaque sunt septem. 1. Ut adhibeantur septem testes idonei §. 2. & 3. *inst. h. tit. l. 23. ff. eod.* quod uidetur remansisse ex antiquo ritu testandi per æs & libram, ubi quinque cives Romani adhibebantur cum familiæ emtore & libripende §. 1. *inst. eod.* moribus duos testes & Notarium sufficere constat *Voet. ad. §. 4. inst. h. t.* 2. Ut quisque annulo subsignet, ita tamen ut qui annulum non habet alieno annulo subsignare possit §. 1. *Inst. eod.* 3. Ut testes specialiter ad testandum rogati sint *l. 21. §. 2. ff. h. tit.* fortuiti & transeuntes non admittuntur
Auth.

8 DISPUTATIO JURIDICA

Auth. Rogati C. h. tit. secus quam in judiciis obtinet l. 11. ff. de testibus.

X I I.

Quartum requisitum speciale est, ut omnes sint in conspectu testatoris *l. 9. C. eod. §.* Requiritur ut testamentum fiat unico contextu *d. §. 3. & l. 21. §. fin. ff. b. tit.* unicus contextus duo denotat 1. ut fiat testamentum uno & eodem tempore *d. §. 3. 2.* Ut nullus actus extraneus interveniat *d. l. 21. §. fin.* Hinc concludo contractum in testamento celebrari non posse *arg. l. 20. ff. de V. sign. 6.* Requiritur ut testes & testator propria manu subscribant *§. 3. inst. h. tit. l. 30. ff. eod.* quod si testator scribere non possit, assumere debet octavum testem, qui ejus nomine subscribat *l. 21. C. h. tit.* testes qui scribere non possunt non admittuntur *arg. d. l. 30.* estque hoc solum privilegium testamenti rustici, ut alius pro alio subscribere possit *l. fin. C. eod.* ultimo requiritur ut heredis nomen per manum testatoris vel testium declaretur *§. 4. inst. h. tit. l. 9. C. eod.* verum jure novo id correctum, & sufficit, ut per alium etiam, quam testem, nomen heredis exprimat *Auth. non observato C. eod. & Nov. 119. cap. 9.*

X I I I.

Restat ut verbum addamus de testamentis invalidis. Testamenta quæ effectum fortiri nequeunt vel ab initio ipso jure nulla sunt, vel ex post facto infirmantur *l. 1. ff. de injusto rupt. irrit. test.* ab initio ipso jure nullum est testamentum, quod factum est ab eo, qui faciendi testamenti jus non habet (de quo ante dictum) item in quo non sunt observatæ solennitates jure civili requisitæ *d. l. 1. & 4. ff. b. tit.* Similiter ipso jure nullum est testamentum, in quo suus heres est prateritus *d. l. 1. & l. 17. ff. eod.* nam, ut patris testamentum qui liberos in

in potestate habet, valeat, omnino aut instituere eos debet aut exheredare, si enim silentio praterierit, inutiliter testatur *pr. inst. de exhered. liber.* quid si tamen filius prateritus hereditate paterna abstineat, Voluntas patris ex bono & æquo sustinebitur *d. l. 17. in fin.*

X I V.

Testamenta alia, quæ ex post facto infirmantur, ad tres classes referri possunt, nempe vel rumpuntur, vel irrita fiunt, vel rescinduntur.

Rumpitur testamentum agnatione sui heredis, vel mutatione voluntatis. *Suus* heres est, qui in potestate testatoris est, & proximum gradum in familia obtinet §. 2. *inst. de hered. qualit. & differ.* Agnatio duplex est, vel vera, quæ aliter vocatur naturalis agnatio, vel quasi agnatio, quæ aliter dicitur civilis; vera agnatio est cum post factum testamentum nascitur filius §. 1. & 2. *inst. de exhered. liber.* quasi agnatio contingit tribus modis, 1. Cum nepos in locum patris succedit *d. §. 2. & l. 13. ff. de injust. rupt. irrit. test.* 2. Cum liberi naturales legitimantur *Nov. 89. cap. 10.* 3. Si quis post factum testamentum filium adoptaverit §. 1. *inst. quib. mod. test. infirm.* *l. 8. ff. de injust. rupt. irr. testam.*

X V.

Mutationem voluntatis testator declarare potest 1. Si coram tribus testibus declaraverat se nolle valere testamentum, & simul decennium effluxerit *l. 27. C. b. tit.* 2. Si testamentum induxerit, deleverit, cancellaverit *l. 1. & tot. tit. ff. de his qua in test. delent.* 3. Si aliud testamentum fecerit, nam posterius testamentum rite perfectum rumpit prius *l. 2. ff. de injust. rupt. irr. testam.* §. 2. *inst. quib. mod. test. infirm.* quæ regula vera est, 1. Licet testator in posteriori testamento non
revo-

revocaverit prius *l. 27. C. b. tit.* 2. Licet testator in priori scripserit conditionem de non revocando *l. 22. pr. ff. de leg. 3.*
 3. Licet ex posteriori testamento nullus existat heres *d. §. 2.*
 4. Licet conditio in posteriori testamento heredi adscripta non existat *l. 16. ff. de injust. rupt. irr. test.* 5. Licet in priori testamento heres sit scriptus ex asse, in posteriori ex re certa *§. 3. inst. quib. mod. testam. infirm.*

X V I.

Irritum fit testamentum vel ex persona testatoris vel ex persona heredis. Ex persona testatoris, cum ejus persona ac jus commutatum est, quod accidit per capitis diminutionem, sive ea maxima sit *l. 6. §. 1. ff. de injust. rupt. irr. test.* sive media *d. l. 6. §. 7. l. 17. §. 1. ff. de pœnis* sive minima, puta si testator arrogetur *§. 6. inst. quib. mod. test. infirm.* potest tamen illud testamentum, quod per capitis diminutionem irritum factum erat, iterum reconvallescere, si testator in pristinum statum restituatur *d. §. 6.* quoniam prætor duo tantum tempora in testamenti factione considerat, facti testamenti, & mortis testatoris *l. 1. §. 8. ff. de bonor. poss. sec. tab.*

X V I I.

Irritum fit testamentum ex persona heredis, si is hereditatem in testamento delatam non adierit *l. 1. ff. de injust. rupt. irr. test.* quo casu proprie testamentum dicitur *desitui.* Rescinditur testamentum duobus modis vel per querelam inofficiosi testamenti, qua filius a matre præteritus, vel a patre exheredatus injuste, petit sibi hereditatem restitui, vel per bonorum possessionem contra tabulas *tot. tit. ff. de bon. poss. contr. tab.*

COROLLARIA.

I.

*V*enditor non tenetur precise rem tradere.

II.

*P*ater potest tutorem dare filio exheredato.

III.

*I*mpossibilis conditio non vitiat dispositionem ultimam.

IV.

*M*ulier potest esse testis in Codicillis.

F I N I S.

COROLLARIA

I

V. Evidetur non tenetur precise remanere dare.

II

Pater potest intercom dare filio exheredato.

III

Impedibile conditio non vincit dispositorem ultimam.

IV

Admir potest esse testis in Codicillis.

F I N I S